QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. MENSIS FEBR.
MAGISTRO PETRO GIRARDET DOCTORE MEDICO MODERATORE.

639.

An in prægnantibus duriores mammæ præſtent gracilibus?

HVMANI Corporis ſtructura humanam obſcurat induſtriam; diuerſarum partium multiplex inter ſe analogia humanum quin & pluſquam angelicum ſuauiter edit melos: Et certè dum in prima ſyntaxi æquales ſuas mutuis diſſidiis conſerunt vires elementa, temperatus ille tibi velut ex Amphionis teſtudine concentus erumpit, temperies, inquam, perfectiorum hominis actionum præcipua cauſa exurgit: vbi ſi principum organorum varietas neceſſaria ſigillatim perluſtretur, ſingula & vniuerſa mutuis officiis connecti, communi operæ alligari, mutuis odiis accendi, ad mutua auxilia inuitari, communique damno, conſenſu penè rationali & politico miraberis obligari: Etenim τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν πεφυκότων facilis & mutua ſympathia ac ſynthymoria. In corpore triumuiratum quis non videt? Hepar princeps naturalis œconomiæ membrum cordi vitæ principio ſanguinem totius corporis commeatum, materiamq; vitalium ſpirituum ἀπρόως ſubminiſtrat: hoc autem cerebro facultatum ἡγεμονικῶν nullis ſedibus diſcretarum ſedi viuendi principium elargitur. Cerebrũ non minùs accepti beneficij memor de ſuo viciſſim refert: Cordi quidem ἀναπνοῆς neceſſarios vſus & vim ſentiendi, vt & ipſi hepati benefico, liberè diſtribuens.

MIRA eſt in fœminis non harum ſolùm principum ſed etiam cæterarum partium cum vtero conſenſus; Mirum dictu? vt quæ pars bene habens, cæteras bene; malè autem, malè habere iubeat; quæque antea generando animali opportuna, eidem deſtruendo ſola poſtea ſufficiat, atque ſimiles in homine proferat effectus, quos apud Ariſtophanem ſibi tribuunt ſagæ Theſſalæ, Siſtere aquam fluuiis & vertere ſydera retro. Ecce cuique membro ſuum quærit ac ſobole multiplici opponit hoſtem, qui magnam oſtentet cladem. Hepati primò nocentiſſimam obſtructionem, quæ prohibitâ caloris difflatione putredinem, phlegmonem accendat, interceptâ diadoſi atrophiam, corrupto ſanguine cacochymiam, mutatóque temperamento cachexiam inuehat, impacto magis humore ſcirrhum, extincto verò calore tricipitem hydropem accerſat: ventriculo cardiogmum, nauſeam, vomitum ſanguinis ſæpe vtilem, anorexiam ſuſcitat, variáquæ appetentiæ monſtra cynorexiam, picam, malaciam: Lumbis ardores, pondera: In cor vulcania tela, flammas, palpitationem, lipothymiam, ſyncopem euibrat: Pulmoni dyſpnœam, inflammationem, tabem: Thoraci pleuritim: Faucibus laqueum implicat: Cerebro cephalagiam, cephalæam, ſpaſmum, epilepſiam, apoplexiam, delirij facies mirè variegatas affingit: vniuerſo corpori ſuſcitata ἀνόδῳ κόπον αὐτόματον: Quid mirum? ſibimet ἀφορίαν infenſa ἀλόγως parat: idque duplici tantùm metaſtaſεως, epigeneſεως ſcilicet vel anadromes, maleficio.

MAMMÆ mulierum ornatus, virorum deliciæ ingenitâ pulchritudine amantibus magnopere commendantur, actionis propriæ neceſſitate (lactis quippe generatione, cuius ante conceptionem nulla eſt) & puellorum nutricatu altiùs extolluntur: At peculiarem earum cum vtero ſympathiam (quam & frequens humorum metaſtaſis ab iis ad vterum, & contra, affectíque vteri ex harum inſpectione indicia, atque affectuum vtriúſque partis θεραπεία aperiunt) admirare; intuere curioſiùs non minùs quàm iucundiùs; latentis puelli ætatem, ſexum, ſanitatem, affectus diſces. Quid ita? ſi τῶν τιτθῶν dexter gracilescat, maſculi, ſi ſiniſter, fœmellæ aborſum deſignat.

VBI poſt conceptionem vtriuſque parentis genitura in partium ſpermaticarum typoſim, à vi formatrice ipſi adueniente, digeſta fuerit; ſanguis maternus, qui non antea affluebat, nutriendo augendóque embryω à natura deſtinatus ad vterum veneris arcem allicitur, ex eoque fœtus τὸ γλυκύτατον ἕλκει: reliquum verò per hypogaſtricam & thoracicam, nec breuiori viâ, nec alio manifeſtiori conſenſu, aut ratione, quàm cauſæ finalis complemento & naturæ inſtituto in mammas (vnde tenduntur non extenduntur) exprimit, quod hæ in lac circa octauum vel etiam ſextum geſtationis menſem tantùm facultate lactificâ ſibi (non virorum falſò dictis mammis) inſitâ alteratum puellulo extremis labellis ſugendum papillâ blandè porrigant.

DVM, ex titillante mammarum aſpectu contactúque iucundiori, vteri fœtúſque in prægnantibus affectuum conditionem natura prouida, mirabili interpoſito conſenſu, dedit cognoſcere; honeſtati pudoríque in exercẽda medicina conſuluiſſe videtur: Etenim vt graui indecorum medico, ſic caſtis mulieribus verecundũ fuiſſe vterorum conſpectum attactúmque quis pudicè non ſentit? Age verò; Cui intuenti maiores mammæ vndoſis motibus modò ſurſum modò deorſum ad εἰσπνοῆς diaſtolem καὶ ἐκπνοῆς ſyſtolem leniter fluctuare conſpicientur (ſi ſimul duriores pertractanti renitantur aut reſiliant) ſalutarem redundantis ſanguinis ab vtero expreſſionem ac in illis congeſtionem ſuſpiceris, validámque alimenti à vegeto fœtu ἕλξιν: veluti leuem aut tardum eiuſdem imbecillioris vel abortientis ſuctum, vbi eædem viſu graciles ſeu molliores tactu percipientur: tales enim lac copioſum immò ἔυπεπτον intempeſtiuè effundunt, ἔμβρυον; omni phylacteriorum vſu inutili, breuì certóqne corrupturæ.

Ergo in prægnantibus duriores mammæ præſtant gracilibus. 86

Propugnabat Lutetiæ IACOBVS IOVVIN Pariſinus, Anno R. S. H. M. DC. XXIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. GVILLELMVS GION.
M. CLAVDIVS DE POIX.
M. IOANNES MARTIN. *P. R.*
M. MICHAEL SEGVIN *Decanus. M. & P. R.*
M. PETRVS LE COMTE.
M. ÆGIDIVS LE BLANC.
M. IOANNES TOVRNIER.
M. IACOBVS PERREAV.
M. FRANCISCVS LESPICIER.